



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

De Lvcedio Et Sancti Salvatoris Abbatibus Papiensibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

cum Christianis hactenus praevalere, cum Sarracenis, ut praeibavimus, nititur opprimere Christianos, universis precedentibus contra eos in hac nequitia perdurantes illam concedimus veniam peccatorum quam in defensionem terrae orientalis transfretantibus indulgemus. Per Siciliam enim subveniri poterit facilius terrae sanctae: quae si (quod absit) in Sarracenorum potentiam deveniret, nulla de cetero recuperationi Hierosolymitanae provinciae fiducia remaneret. Nos autem dilectum filium C. tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, apostolicae sedis Legatum, & venerabiles fratres nostros Neapolitanum & Tarentinum Archiepiscopos in regni subsidium cum copioso exercitu destinamus. Mementote igitur opprobrii totius regni, quod vobis à cunctis gentibus exprobratur, scilicet quòd civitatis totum regnum fuerit occupatum quam una soleat civitas occupari. Quid ergo dicetur de servo, cum de domino id dicatur? Ericis enim de cetero, nisi fideliter persistatis & resistatis potenter, opprobrium hominum & abjectio plebis & ludibrium gentium & fabula populorum. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

PIPIONI CLERICO.

Epist. 112.

CVM à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem praebendam sancti Georgij de Canacero, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c.

In eundem modum pro Azone Subdiacono super Ecclesia sancti Sylvestri de Roncalia.

DE LVCCEDIO ET SANCTI Salvatoris Abbatibus Papiensibus.

Epist. 113. Ut monasterium S. Columbanii instaret.

IAM saepius nostrum pulsavit auditum quòd monasterium sancti Columbanii Bobiensis & in spiritualibus usque adeo sit collapsum, & in temporalibus etiam diminutum, quòd nisi per auxilium divinae gratiae, nostraeque sollicitudinis interventu, vix speretur ipsius reparatio proventura. Et quoniam instantia nostra quotidiana est secundum Apostolum omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, nec omnes possumus persona-

liter visitare, majoribus occupati, nostras vobis vices in hac parte duximus committendas, concessa vobis plenaria potestate corrigendi tam in capite quam in membris quae fuerint corrigenda, & puniendi per censuras ecclesiasticas, si qui vobis contumaces extiterint & rebelles. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus ad dictum cenobium pariter accedentes, super statu ipsius inquiratis plenius veritatem, & Deum habentes praeculis, sine personarum acceptione quicquid ibidem inveneritis corrigendum, requisito consilio venerabilis fratris nostri Episcopi Bobiensis, nostra freti auctoritate, remoto appellationis obstaculo, corrigatis: cuius electum si minus utilem inveneritis ad regimen abbatiæ, sine praedicio tam Episcopi quam etiam monasterij ejus resignatione recepta, talem ibidem pastorem per electionem canonicam instituere procuretis qui & prodesse noverit & praesse; attentius provisuri ut mandatum apostolicum taliter exequamini quòd sollicitudo vestra debeat in Domino commendari. Datum Laterani.

BOBIENSI EPISCOPO.

ACCEDENS ad apostolicam sedem dilectus filius electus sancti Columbanii Bobiensis de te in auditorio nostro graviter est conquestus, quòd cum monasterium sibi commissum à tempore beati Gregorij ad Romanam Ecclesiam usque ad moderna tempora pleno jure spectaverit, tu occasione cujusdam sententiae à felicitis recordationis Eugenio Papa praedecessore nostro contra monasterium ipsum per Abbatis illius temporis imperitiam vel fraudem forsitan promulgatae, quam bonae memoriae L. Papa successor ipsius postea confirmavit, Bobiensis Ecclesiae abbatiam ipsam niteris subjugare: de cuius possessionibus & redditibus cum episcopium & canonica ditata sint pariter & dotata, non videbatur consonum rationi ut cum iactura temporalium rerum, libertatis etiam suae dispendium pateretur, & cenobium, quòd prius ad Romanam Ecclesiam nullo pertinuerat mediante, postquam ibi factus fuit Episcopus multitudine fidelium excrecente, subjectum fieret Ecclesiae Bobiensis. Post hanc autem divisionem monasterium idem, sicut prius

Epist. 114. De libertate monasterij S. Columbanii.

Vide To. IV. Ital. fac. pag. 1296.